

*de Nat. Aquatil. lib. 1. pag. 115.* Quod autem Plinius scribit Lucernæ  
lingvam per os exertam relucere *lib. 9. cap. 27.* id parùm credibile  
videtur Vossio *de Idol. lib. 4. cap. 48. pag. 1467.* cum piscium lingvæ  
non sint explanatæ, cerniq; nequeant, nisi os inclinaveris, ut docet  
Aristotele *lib. 2. de part. Animal. cap. ult.*

§. 11. in Littoribus quoq; Norvagiæ horribile Balænarum  
genus reperitur, capite quadrato, undiq; spinoso & acuto, colore ni-  
gerrimo, cornu prælongo, prægrandibusq; oculis, quorum ambitus  
octo vel decem cubitos excedit, pupilla verò unius cubiti rubeum &  
flammeum colorem refert, qui à longè in tenebrosis temporibus in-  
ter undas, veluti ignis accensus, piscantibus apparet, uti describitur  
ab Olai Magni Epitomatore *lib. 21. pag. 429.* De iisdem Balænis lo-  
quitur Dithmarus Blefkenius *in Descript. Islandiæ pag. 52.* quod non  
animadvertens Bartholinus, utrumq; Scriptorem, ac si de distinctis  
Piscibus loquerentur, adduxit *d. lib. 2. cap. 15. pag. 311.* contra expressa  
verba Blefkenii, qui suæ sententiæ testem Ol. Magnum *in Histor. Sep-  
tentr. lib. 21. cap. 5.* allegat.

§. 12. Prætereà lucent in piscibus Capita, squamæ, aliæq;ve  
partes, teste vel ipso Aristotele *lib. 2. de Animâ cap. 7.* Sic Rondele-  
tius *de Piscib. lib. XV. cap. 7. fol. 427.* scribit de Lunâ seu Orthragorisco,  
in quibusdam partibus ita lucere noctu, ut ex iis Ignis splendidif-  
simus vel aliquid aliud illustrissimum lumen emicare videatur. Et  
Cardanus in Scotiâ vidit Spinas quorundam Piscium instar pruna-  
rum noctu scintillantes, quarum lux tamen quinto circiter post die  
evanuit. Simile quid sæpè sæpius se annotasse scribit Bartholinus  
*d. l. 2. cap. 15. pag. 302.*

§. 13. Testatur etiam Olaus Wormius in semiputri Capite  
Scorpionis Marini, qui Danis EN ULK dicitur, observasse quatuor  
quasi discretas luculas, duas supra oculos, totidemq; sub inferioribus  
mandibulis per quatuor aut quinque noctes, usq; dum Caput humido  
destitueretur. Erant enim partes, unde lux emicabat, per candelam  
lustratæ, non nigræ, ut corium reliquum, sed candicantes & mucosæ.  
Vid. Bartholin. *Centur. I. Epist. 82. de Luce lib. 2. cap. ult. pag. 313.* Schot-  
tum *in Append. l. c. pag. 1372.* De Aselli minoris aliorumq; Piscium lu-  
centibus particulis putridis vide Experimenta Roberti Boyle *in Ephe-  
mer. Erud. Tom. IV. pag. 49. seqq.*

§. 14. De Squamis res est certissima, clariorq; evadit ex cal-  
lido